

quedam cultum et honorem redditum Deo, in tantum quod aliqui existimant poenitentiam non distingui a religione: quod autem dicitur, non dari poenitentiam acquisitam et naturalem, id videtur falsum, quia etiam in pura natura posset aliquis dolere de peccato, quatenus est offensa Dei, si quidem in illo statu cognoscitur peccatum esse contra legem ipsius: et licet non posset sperare veniam peccatorum, quia hæc sine gratia non datur, quæ in illo statu non dabatur, quia erat status puræ naturæ, tamen posset sperare aliquam condonationem poenæ, saltem temporalis, et pro hac vita, et aliquam Dei placationem; et sic haberet propositum non peccandi de cætero, sed diligendi Deum auctorem naturæ super omnia: et hoc modo potest dari poenitentia imperfecta in statu puræ naturæ, sicut et charitas ordinis naturalis et religio. Unde gentiles naturali lumine ducti sacrificiis et cæremoniis exterioribus Deum placandum existimabant, quod utique ad aliquod genus poenitentiae pertinebat: non enim potest quis intendere placare Deum, nisi iratum et offensum.

POENITENTIA EST VIRTUS A RELIQUIS
DISTINCTA.

XIII. Dico secundo: Poenitentia est virtus specialis distincta a reliquis omnibus virtutibus. Hæc conclusio est expressa S. Thomæ hic art. II et in IV, dist. XIV, quæst. I art. I, quæst. V, et sequuntur S. Thomam communiter doctores, præsertim ex discipulis S. Thomæ, et ex recentioribus: non tamen desunt (præsertim ex antiquis) qui poenitentiam non distinguant ab aliis virtutibus. Aliqui enim absolute sentiunt non

esse ponendam specialem virtutem poenitentiae, sed communiter convenire omnibus virtutibus poenitere, seu dolere de peccatis sibi oppositis sicut temperantia dolet, seu detestatur intemperantiam, justitia injustitiam: et sic de reliquis. Neque enim datur specialis virtus pro fugiendo malo opposito ipsi virtuti, sed fuga de malo sequitur prosecutionem alicujus boni: ad fugiendum autem malum in communi non requiritur specialis virtus, quia neque datur ad appetendum bonum proprium in communi, ut docet S. Thomas 1-2, quæst. LVI, art. VI: alii existimant poenitentiam non distingui a charitate, quia actus ejus præcipuus, qui est contritio, est actus elicited a charitate, si quidem detestatur peccatum propter Deum summe dilectum, tamquam propter motivum: ergo non requiritur alia virtus ad poenitentiam, quam virtus charitatis. Et istæ sententiae consideraverunt in poenitentia solum id, quod est de dolore et detestatione peccati: qui vero ulterius consideraverunt in ipsa poenitentia rationem justitiæ, et recompensationis erga offensam Dei, divisi sunt in duas sententias: quidam dixerunt poenitentiam non distingui a justitia commutativa, quæ reddit satisfactionem pro injuria, ut sentit Durandus in IV, dist. XIV, quæst. II; Scotus vero ibidem quæst. II reducit poenitentiam ad justitiam vindicativam, quia ejus finis est punire culpam. Nec obstat, quod poenitentia non possit reddere Deo totum debitum, sed partem, nam hoc etiam pertinet ad justitiam commutativam: nam qui debet centum, et solum habet quinquaginta, reddit illam partem ex justitia commutativa, quia non est alia virtus per quam reddat. Alii vero considerantes in hac satisfactione poenitentiae reddi Deo hono-

rem, quia satisfit injuriæ, dixerunt poenitentiam non distingui a religione, quæ dat cultum et honorem Deo sive offenso, sive non offenso.

XIV. Nihilominus nostra conclusio probatur et fundatur; tum in ratione generali, quam ponit S. Thomas; tum specialiter ex solutione oppositarum rationum. Et prima ratio deducitur sic: Quia formale obiectum poenitentiae est distinctum a reliquis virtutibus: ergo et ipsa poenitentia, ejusque specificatio distincta est. Consequentia patet, quia ex distincto specificativo sequitur species distincta; obiectum autem formale est specificativum: ergo ex distincto obiecto formali sequitur distincta species virtutis. Antecedens autem probatur, quia in poenitentia invenitur specialis ratio formalis, quæ ad nullam aliam virtutem pertinere potest, scilicet, operari ad destructionem peccati, ut est offensivum Dei; hoc enim est valde honestum et laudabile. Si enim honestum est operari ad reparandum damnum, et jus proximi læsum, quanto magis ad reparandum honorem ipsius Dei, et jus illius læsum?

XV. Quod vero hoc non possit pertinere ad aliam virtutem, probatur discurrendo per omnia genera virtutum, nam quædam virtutes sunt theologice, aliæ morales; et ex istis quædam versantur circa passiones moderando illas, quædam se habent ad alterum, adæquando aliquod debitum per modum justitiæ. Et omitimus virtutes intellectuales, quia constat poenitentiam non esse in intellectu, cum ejus proprius actus sit dolor. Poenitentia ergo non est virtus theologica, quia non est fides neque spes, cum istæ virtutes inveniuntur etiam in peccatore non poenitente; neque est charitas, quia charitas habet proprium actum diligere Deum propter summam bo-

nitatem, et per modum amicitiae tendit in illum, non autem proprius ejus actus est satisfacere, et recompensare debitum pro peccato (sed hoc pertinet ad distinctum motivum formale) sicut reddere cultum Deo pertinet ad aliam virtutem distinctam a charitate, scilicet ad religionem, licet utraque (tam religio quam poenitentia) possint imperari a charitate, quia ex amore finis imperantur media: præter istas autem virtutes theologicas non datur alia quarta virtus theologica, juxta illud Pauli: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*, I Cor. XIII. Et generalis ratio id suadet, quia virtus theologica respicit directe Deum, seu aliquid divinum tamquam obiectum quod attingit, et materia circa quam versatur: poenitentia autem solum respicit Deum ut obiectum, cui debitum reddit; pro materia autem et obiecto quod respicit, actus humanos (verbi gratia confessionem et contritionem) quibus hoc debitum Deo reddit: sicut religio respicit pro materia cultum, Deum autem pro obiecto, cui reddit illum, et ideo non est virtus theologica: ergo nec poenitentia.

XVI. Quod vero inter virtutes morales poenitentia non sit virtus per se et directe moderativa passionum probatur, quia poenitentia non offert Deo directe et per se dolorem sensibilem, qui est passio; nec contritio est dolor sensibilis, sed spiritualis, quia procedit ex motivo spirituali, id est, ex amore divino et affectu expiandi peccata, ut sunt offensa Dei, et est in subjecto spirituali, scilicet in voluntate: ergo non pertinet ad ipsam moderari passiones sensibiles directe et per se, licet ex consequenti moderari possit dolorem sensibilem, qui excitari solet ex dolore voluntatis: *Ne, scilicet, abundantiori tristitia aliquis absorbeat*, ut inquit Paulus II ad Corinth. II. Relinquitur ergo

quod poenitentia debeat pertinere ad virtutes quæ sunt ad alterum; et in his vel potest pertinere ad justitiam commutativam communiterdictam, vel ad justitiam legalem, quæ respicit debitum boni communis per observantiam legis; vel ad religionem, quæ respicit debitum divini cultus et jus divinum. Ad justitiam commutativam communem non potest pertinere, quia hæc justitia per se respicit debitum et jus æquale personarum, et per se tendit ad faciendam recompensationem æqualem, licet in exercitio aliquando non reddat æquale ex impossibilitate aliqua, vel impedimento debitoris, quod omnino se habet per accidens: recompensatio autem ad Deum ex sua natura respicit jus divinum, quod per se est inæquale ratione personæ, et irrecensabile a creatura, et non solum per accidens ex defectu materiæ: et sic requirit speciale motivum et virtutem talis recompensatio. Si enim erga parentes datur specialis virtus, quæ est pietas ad reddendum illis debitum, et similiter erga principes et superiores datur specialis virtus pro reddendo debito juris divini, quod longe altius et difficilior est.

XVII. Ad justitiam etiam legalem non pertinet, quia motivum justitiæ legalis est observatio boni communis et legum, ideo enim legalis appellatur, quia legum observationem intendit, secundum quod hoc spectat ad debitum boni communis; hoc autem bonum commune est aliquid inferius bono divino, si quidem bonum commune est bonum creatum provisum a Deo, et sub ejus gubernatione contentum; poenitentia autem respicit offensam factam Deo, et jus divinum læsum, quod reparare intendit: ergo respicit aliquid altius bono communi: ergo habet distinctam difficultatem et motivum a justitia legali, quia distinctum jus et

debitum respicit: ergo est distincta virtus. Ad religionem autem non pertinet, ut expresse docet S. Thomas in IV, distinctione XIV citata, quia religio respicit pro objecto cultum divinum ut reddendum Deo tamquam supremo principio et benefactori, non vero respicit id quod reddendum est Deo ut offenso; imo habent contrarias conditiones istæ virtutes, quia Deus ut benefactor supponitur, seu respicitur ut placatus, quia ut benefactor: poenitentia vero respicit ipsum ut placandum, quia ut offensum et punitorem, et sic offert illi non cultum tamquam benefactori, sed placationem et recompensationem per modum punitionis et vindictæ de scelere commisso; hæc autem sunt diversa objecta et motiva, scilicet colere Deum, vel placare; respicere illum ut offensum, vel ut benefactorem; unde si donum timoris distinguitur a religione, quia licet reveratur Deum (quod videtur pertinere ad quemdam modum cultus) tamen quia respicit Deum ut potentem infligere malum, non autem sub ratione benefactoris, distinguitur timor a religione: ergo multo magis poenitentia, quia respicit Deum non sub ratione benefactoris, sed offensi et punitoris, distinguitur a religione.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVIII. Sed objicies primo: Nam contritio est præcipuus actus poenitentiae; sed ad eliciendum istum actum sufficit charitas: ergo frustra ponitur pro illo distincta virtus poenitentiae. Major est certa, quia contritio numeratur inter actus poenitentis a Concilio Tridentino sess. XIV, cap. III et IV, et constat, quia est actus doloris maxime expiatus peccati, et disponens hominem ad remissionem il-

lius: ergo maxime pertinet ad virtutem expiativam, quæ est poenitentia. Minor probatur, nam formalis ratio motiva contritionis respicit charitatem, non imperantem, sed ut elicentem, si quidem ratio formalis contritionis est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum quæ summa dilectio non se habet ut circumstantia finis imperantis, sed ut ratio formalis illius actus, si quidem est de intrinseca essentia illius: per illud enim motivum distinguitur essentialiter ab attritione: ergo non est a charitate ut imperante, sed ut elicente. Patet consequentia, quia virtus imperans non comparatur ad actum imperatum tamquam dans illi essentialem et formalem rationem, sed solum accidentalem et extrinsecam, si quidem imperans solum movet ex parte finis alliciendo et efficaciter movendo, non autem concurrat ex parte objecti specificando; ergo non præbet essentialis specificam rationem actui: ergo si contritio dolet propter Deum summe dilectum, tamquam propter rationem qua specificè distinguitur ab attritione, dilectio illa non est imperans, sed specificans contritionem: ergo charitas est proprie et specificative elicitive contritionis: et sic non requiritur virtus poenitentiae distincta ad eliciendam illam.

XIX. Secundo, arguitur ad probandum poenitentiam non esse distinctam virtutem a justitia, nam justitia per se respicit recompensationem debiti: et si fiat in vindictam alicujus delicti, fit a justitia vindicativa, quæ est species quædam commutativæ. Quod autem restituat, vel recompenset totum debitum integre, vel partim, per accidens se habet, cum sit hoc ex defectu materiæ. De se enim justitia inclinat ad restituendum totum debitum, si facultas suppetat; sed poenitentia respicit recompensationem divinæ of-

fensæ tantum, quantum potest, et si de facto non reddat totum, non est ex defectu inclinationis, sed ex impossibilitate materiæ: et similiter respicit expiationem peccatorum per modum vindicationis: ergo non est necesse distinguere illam a justitia commutativa vel vindicativa. Nec refert, quod poenitentia recompensat, et satisfacit Deo; justitia vero communitati vel hominibus, quia Deus et homines solum se habent ut objectum cui justitiæ, non ut objectum quod specificativum: ergo ex hac parte non mutatur species justitiæ essentialiter et specificative. Itaque specifica ratio justitiæ salvatur in hoc, quod est reddere debitum ad æqualitatem, quantum est ex parte ipsius virtutis et inclinationis ejus, licet de facto non reddatur æquale ex aliquo impedimento, seu impossibilitate debitoris: differentia vero personæ cui fit recompensatio (scilicet, quod sit Deus, vel homo) materialiter se habet, nec pertinet ad differentiam objecti specificativi.

XX. Tertio, in favorem sententiæ Cajetani arguitur, ad probandum non distingui poenitentiam a religione: Nam in poenitentia non offertur aliquid Deo distinctum a cultu divino: ergo non est aliquid specialiter distinguens a religione. Consequentia patet, quia propria specificatio religionis est exhibitio cultus divini: ergo virtus quæ non respicit aliquid distinctum a cultu, non est aliquid distinctum a religione. Antecedens vero probatur, quia cultus non est aliud quam honor alicui debitus: recompensatio autem injuriæ est honor, qui fit offenso, si quidem per injuriam aufertur honor: ergo satisfactio illius est restitutio honoris: ergo cultus, quia est honor restituens: unde præcipuus actus poenitentiae, qui est humiliatio hominis ad Deum, est etiam actus religionis,

quia religio non aliter Deum honorat, quam subjiendo illi hominem: ergo ad eandem virtutem pertinet submissio hominis facta Deo offenso, et Deo benefactori; tum etiam, quia ad remissionem peccatorum obtinendam semper adhibentur aliquæ cæremoniæ religiosæ, sive sacrificia, sive sacramenta, tam in lege antiqua, quam in nova: ergo signum est expiationem peccati fieri a virtute religionis, quia fit cæremoniis religiosis; tum denique, quia ad religionem non solum pertinet cultus et reverentia, sed etiam gratitudo erga Deum, et fidelitas, et aliæ similes virtutes quæ hoc ipso quod reddunt debitum Deo, pertinent ad virtutem religionis: ergo similiter poenitentia, quia reddit debitum Deo ut offenso, non excedet rationem formalem religionis, quia reddi hoc debitum offenso vel benefactori, non variat essentialem rationem debiti. Et patet a simili, quia per eandem virtutem justitiæ commutativæ servatur jus integrum alterius, et restituitur læsum; redditur debitum in commutationibus voluntariis (ut emptione et venditione) et debitum in offensis; ergo similiter per eandem virtutem conservatur honor divinus, et restituitur læsus. Aliis rationibus movetur Cajetanus ad ponendum, quod poenitentia non est virtus specialis, et sunt a nobis adductæ et solutæ supra, ideoque hic omittimus.

XXI. Ad primum respondetur ex doctrina S. Thomæ in hac quæstione, art. II ad primum, quod contritio non est actus elicitus a charitate, sed a poenitentia, licet imperari possit a charitate. Et ad probationem minoris dicitur, quod contritio est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum, sistendo in ipsa displicentia peccati, et dilectione Dei secundum se, nego; accipiendo dolorem et modificando dilectionem

per modum expiationis et vindicationis peccati, concedo; et sic est propter Deum summe dilectum, tamquam propter finem impetrandum et dirigentem, non tamquam propter rationem formalem specificam, si dilectio Dei consideretur solum absolute et secundum se: ut autem pertinet essentialiter ad poenitentiam, non sumitur summa illa dilectio solum secundum se, sed ut modificata et determinata ad dolorem de peccatis per modum satisfactionis et recompensationis. Et cum instatur: Quia per hoc distinguitur specificè contritio ab attritione, quia est propter Deum summe dilectum respondetur ex hoc præcise, quod est propter Deum summe dilectum absolute et secundum se, nego; per hoc quod est esse propter Deum summe dilectum, ut modificatur ac determinatur ad satisfaciendum pro peccato, transeat: charitas autem elicitive non elicit ipsum diligere, nisi diligendo Deum absolute et in se, et eodem modo dolet atque detestatur peccatum sibi oppositum: sed dolore de illo sub tali modo, scilicet, ut cui est satisfaciendum, vel ejus vindicata injuria, sic pertinet ad speciale motivum, atque ita dilectio Dei absolute considerata est diversæ speciei a poenitentia, et imperat illam. Ut autem modificata et determinata ad elicendum dolorem per modum expiationis et satisfactionis, constituit essentialiter aliam speciem virtutis, scilicet poenitentiam.

XXII. Et hoc ipsum contingit in aliis virtutibus et peccatis, nam virginitas est virtus specialis distincta a castitate communiter dicta, per hoc quod sit voto firmata, ut notat S. Thomas 2-2, quæst. CLII, art. III, quia solum ratione voti potest reddi illicitum matrimonium, a quo etiam abstinet virginitas, et non castitas communis, et tamen

votum est actus religionis, qui est alterius virtutis a virginitate: et sic quando consideratur religio absolute et secundum se, distincta virtus est a virginitate, illique imperat: si vero consideretur votum in quantum modificat et determinat materiam illam castitatis, ita ut reddat illicitum etiam matrimonium ex amore castitatis, sic specialem virtutem constituit. Similiter adulterium est distincta species luxuriæ quatenus addit deformitatem injustitiæ erga uxorem alienam, quæ injustitia si consideretur absolute et secundum se, est distinctæ speciei a luxuria; si autem consideretur ut modificans materiam luxuriæ, constituit speciem illius, quatenus aliquis ex libidine et concupiscentia sic effrænatur, ut etiam injustitiam velit committere.

XXIII. Et sic inquiras: Quid est in dolore poenitentiae iste modus et ratio expiationis, et quid addit supra simplicem affectum charitatis, quod distinctam difficultatem faciat, si quidem qui habet simplicem displicentiam peccati ortam ex charitate sufficienter satisfacit Deo; et si accedat ad sacramentum cum illo dolore, fructum sacramenti habebit, quid ergo necesse est specialem virtutem poenitentiae constituere, solum pro illo modo expiativo, respondetur charitatem secundum se solum importare simplicem amorem divinæ bonitatis prout est in Deo, et displicentiam de peccato prout est contra Deum, sive sit proprium, sive alienum peccatum, indifferenter: dolor autem poenitentiae ut expiativus, addit duo super hunc amorem et dolorem charitatis: primum est, detestari peccatum, ut proprium et a se commissum determinate; ea enim quæ propria sunt et a nobis facta, difficilius detestamur, et correctionem

nobis impositam et poenam pro delicto difficilius sustinemus. Unde charitas procedit sub ratione formali altiori et abstractiori (nempe dolendo de peccato ut abstrahit a proprio vel alieno:) poenitentia vero magis contracte et determinate procedit, scilicet, dolendo de peccato ut proprio et corrigendo.

XXIV. Secundo, addit specialem rationem poenitentia supra charitatem, quatenus facit quamdam adæquationem per modum justitiæ, tum in ratione culpæ, tum in ratione poenæ, quia et offert Deo cor contritum et contractum pro offensa facta, et imponit sibi poenam, vel acceptat pro satisfactione: ad charitatem autem, licet pertineat amare Deum, et detestari peccatum absolute, non tamen facere istas adæquationes et mensuras, quia non tendit ad Deum sub ratione justi et vindicativi, sed sub ratione boni amabilis, licet ex tali amore impetur ille dolor ut expiativus est et satisfactivus. Quod si aliquis cum illo dolore simplici elicit a charitate accedat ad sacramentum, justificabitur: imo etiam ante sacramentum per actum charitatis justificatur, quia eminenter et virtualiter est poenitentia, non tamen formaliter; et ideo non superfluit poenitentia, quia præter eminentialem illum dolorem et virtualem, requiritur etiam formalis et proprius, sicut etiam charitas virtualiter implet totam legem, nec tamen superfluit aliæ virtutes morales, quæ specialia præcepta adimplent ex specialibus motivis.

XXV. Ad secundum respondetur, quod justitia communiter dicta respicit debitum humanum, quod est inter homines; debitum autem divinum non potest respicere, quia debitum divinum est altius et superius, et per se et ab intrinseco non potest reddi æquale: quod si ali-